PA 4461
.D5
Copy 1

QUAESTIONES THUCY

PA 4461
.D5
Copy 1

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE IV. M. JULII MDCCCLXXIII

HORA XII

PUBLICE DEFENDET

OTTO DIETRICH

NEOMARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. KNOCHE, CAND. PHIL.

P. KAUSCHMANN, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS.

PA4461
.D5

PATRI CARISSIMO

SACRUM.

De Thucydidis vita et scriptis cum mecum reputabam, quantum docti viri ut Kruegerus, Ullricus, Goellerus, alii conscripsissent, et ab uno Poppone, praeclarissimo in literis viro, tantam doctrinae vim in Thucydidis editione congestam esse, ut assiduo et accurato ad illam pertractandam labore opus sit, pudor ac sensus me deterruisset, quominus in hoc scriptore studium operamque meam collocarem et ipse aliquid ad quamlibet sive vitae sive operis partem explicandam praestarem, nisi rerum gestarum pronuntiator ille sincerus et grandis [1]) iterum atque iterum me allexisset virtutibusque suis devinxisset. Quamobrem quamvis cum talibus viris vel ingenio vel doctrina vel auctoritate comparandus non sim, tamen in scriptoris illius occupatione perseveravi mihique extremam operis partem, librum octavum, de quo quaererem, elegi.

Atque illo libro narrationem, quam Thucydides usque ad belli Peloponnesiaci finem perducendam susceperat (cf. V, 26, 4) repente interrumpi neque lectorem quemquam fugere potest, et omnibus notum est. Illud autem nulla re facilius quam eo declaratur, quod Thucydides in opere suo perficiendo subita morte interceptus est: qua de re, qui de eo aliquid memoriae prodiderunt, consentiunt [2]). Ultimum autem librum Thucydidis esse, non solum ex orationis colore et proprietate sed externis argumentis inde luculentissime apparet, quod scriptor ipse duobus locis (VIII, 6, 5. 60, 3) auctorem se nominat; neque expositione, quam Marcellinus (§. 43) de aliis instituit, qui huius libri auctores nescio a quibus habiti sunt, opus est otiosa. Quam in opinionem vix quisquam incidisset, nisi mirum videretur, quod liber octavus ex omnibus unus

[1]) Cic. Brut. 287.

[2]) Marcell. §. 43, Pausan. I, 23, 11.

caret orationibus. Sed haec penuria alii sententiae argumento est, quam iam multi viri docti probaverunt, octavum librum a Thucydide minus esse perpolitum: de qua re nunc paullo uberius exponamus.

Atque illius orationum penuriae ut exordium faciamus, ex antiquissimis temporibus ab aliis aliae prolatae sunt sententiae Cratippus (ap. Dionysium Halicarnassensem pg. 847) illam inde intellegendam esse dicit, quod orationes a Thucydidis aequalibus non modo rerum continuationi impedimento sed etiam auditoribus molestae esse existimabantur. Sed quamquam ea aetate, qua Thucydides octavum librum scribebat, dicendi ars a Lysia et Isocrate exculta a Thucydidis orationum genere tantum distabat, ut Atheniensium populo illa magis probaretur, tamen scriptor noster senex, cuius ingenium atque indoles plane esset perfecta et absoluta, a proprietate, quae ad totius operis colorem pertineat, repente discessisse putandus non est. An fieri potuisse censes, ut ex aliis quoque libris orationes tolleret, de quibus per totam vitam meditatus esset, quaeque ad historiam recte perspiciendam et interpretandam magnopere sunt necessariae, si ad retractandum opus tempus habuisset? A se ipso descivisset, si hoc fecisset. — Adde huc alios veluti Kruegerum [1]), qui existimant, scriptorem pro ea ratione, qua orationes intermiscere solebat, in octavo libro nullas adhibere potuisse, quia consilium, propter quod illas in historiam recepit, iam iis assecutus erat, quas in superioribus libris praemiserat idque etiam cum respectu ad hunc librum, et quia in eventibus rerum, quae in octavo libro narrantur, vere nullae orationes habitae sunt satis graves ac dignae, quae in historiam admitterentur, descriptis praeterea iam ingeniis et moribus populorum belligerantium, statu civitatum et inter se rationibus. Neque de viris, qui in libro octavo prodeunt, praeter Alcibiadem iam supra descriptum quisquam fuit eximie memorabi-

[1]) Leben des Thucyd., pg. 78. Göller. 2. Ausgabe d. Thucyd. pg. 86/87.

lis. Sed ut ad illud, quod Kruegerus primo loco statuit, me convertam, quaenam est ratio atque consilium Thucydidiarum orationum? Nempe illud, ut illis illustretur et demonstretur, quibus causis et singuli et populi ad hanc vel illam agendi rationem adducti sint. Ut sanguis in corpore per venas et arterias in omnes partes permanans homini vigorem et alacritatem affert, ita in Thucydidio opere aridae quae narrantur res orationibus tamquam vivido suco perfunduntur. Hoc igitur suco et sanguine ideo liber octavus caret, quod earum, quae hic referuntur rerum causae et connexus priorum librorum orationibus satis iam explicata sint? Sed quamquam Nicias in sexto et septimo libro, quorum nempe imprimis ratio habenda est, quae pericula ab adverso Siciliensis expeditionis eventu Atheniensibus immineant, praesagiente animo providet (cf. VI, 9/14; VII, 69) et Alcibiades de magnis emolumentis, quae ex Decelea munita Lacedaemonii percepturi sint, recte praeiudicat[1]), tamen in hoc octavo libro tam novos rerum eventus cognoscimus, ut ad eos praemuniendos et illustrandos vaticinantia illa verba non sufficere existimem. Videmusne, ut populare imperium ab optimatibus magis magisque opprimatur, ut socii, quorum opibus maritimus Atheniensium dominatus sustentatus erat, fere omnes deinceps desciscant, ut Lacedaemoniorum vires etiam atque etiam terra marique crescant et augeantur? Et singulares illos eventus Thucydidem non dignos iudicasse censes, quos orationum ornamento distingueret? Quamobrem Niebuhrii[2]) sententiam, quo leviores res anno 412 et 411 gestae prae iis, quae in superioribus libris narrantur, Thucydidi essent visae, eo magis scribendi studium et quasi ardorem fractum in eo esse atque minutum, quamvis ad auctoritatem tam gravis adversarii non accedam, non sequor. Nam ut horum annorum eventus, cum universam belli Peloponnesiaci historiam, quomodo ad Athenarum exitium exeat, contemplamur, tanti ponderis ac mo-

---

[1]) Thuc. VI, 91.

[2]) cf. rhein. Mus. I, 198.

menti esse puto[1]), quanti superiorum annorum, ita quod Niebuhrius bono scriptori aptum et dignum ducit, mihi quidem et Thucydide plane indignum et ab eius indole omnino videtur abhorrere. Etenim etiamsi res minus in se habere ponderis iudicasset, tamen, ut sibi ipse erat constantissimus, ab ea, quam de orationibus interponendis antea secutus erat, ratione certe non discessisset. An putas eum, cum videret ut ab optimatibus, quorum partes ipse quamvis magna sequebatur moderatione, cum maiore in dies licentia ac superbia exsultantibus populare imperium everteretur, pudore commotum ab orationis libertate discessisse. An eum in corruentis reipublicae conspectu et Lacedaemoniorum dominatione ante oculos ei obversante alacre et elatum scribendi genus remisisse dolore afflictum atque fractum? Sed haec crimina in Thucydidem, qui scriptor et ab omni partium studio remotus et nimiae mollitiae ac lenitatis expers habendus est, conferre non ausim. Atqui superiorum librorum scribendi genus non modo non mutatur sed etiam accedunt orationes si non directae at certe obliquae, quarum Thucydidem magnam partem, si tempus ei suppetivisset, ita elaboraturum fuisse existimo, ut directo sermone fluerent. In quorum numerum referenda non est capitis 46 oratio, quae privata est inter consultantes Tissaphernem et Alcibiadem collocutio, nec ea, quam in cp. 86 invenimus, contio: in qua cum propter ingentes, quae ab iratis militibus movebantur, turbas iusta oratio a quadringentorum legatis vix posset haberi praetereaque similia argumenta iam a Pisandro apud Atheniensium populum prolata essent, Thucydidi directam fingere orationem supervacaneum et otiosum, credo, visum esset, etiamsi ad elaborandum librum octavum tempus habuisset. Neque aliter de capitis 93 contione iudicandum est, cum complures quadringentorum ad moderatissimos cives accedentes seditiones componere studuisse cognoscamus. — Sed in omnibus ceteris orationibus obliquis semina quasi inesse puto directarum: et in cpp. 27, 1; 4; 48,

[1]) cf Roscher „Leben, Werk und Zeitalter d. Thucyd." p. 355.

3 sqq. ubi Phrynichus suos a committendo proelio navali et a societate cum Alcibiade Persisque coëunda prohibere conatur; et in cp. 40, ubi Chii in summas difficultates ab Atheniensibus adducti ab Astyocho auxilium petunt; et in cp. 53, ubi Pisander fluctuantem et perturbatum populum ad mutandam reipublicae formam faciliorem et propensiorem reddit: quo loco imprimis transitus, qui exeunte capite in directam orationem fit, illud mihi videtur declarare, Thucydidem, cum haec lineamenta, ut ita dicam, scriberet, iam tunc elaborandae huius orationis initium fecisse. Dubitari autem potest, quae sors obliquae orationis, quam in cp. 76 2 seqq. legimus, futura fuerit. Describitur enim contio, in qua et suspecti praetores abrogantur et novi creantur, inter quos Thrasybulus et Thrasyllus, deinde, si quis contionari vult, ad suorum animos exhortandos et confirmandos exoritur. Quae autem sententiae proferuntur, ita rerum connexu coalescunt, ita grammaticis artubus coniunguntur (observes velim §. 2/3 tria deinceps enuntiata particula *γὰρ* cohaerentia), ita elata atque sublimi peroratione absolvuntur, ut una tantum oratio nobis proponatur, qualem etiam Thucydides, si ad retractandum opus tempus ei fuisset, in directam mutavisset. — Adiungendum denique est cp. 81, in quo non obliquam quidem orationem sed manifestissima testimonia invenimus contionis, quam Alcibiades redux factus apud Atheniensium exercitum re vera habuit, cuiusque singulae partes quamvis non dispositae a Thucydide clare nobis proponuntur [1]). Memorabilis vero videtur magnifica illa §. 3 vox: *τὴν ἑαυτοῦ στρώμνην ἐξαργυρίσαι*, quam ab Alcibiade ipso, ut grandiloquis verbis magnam, qua apud Tissaphernem frueretur, potentiam ostentaret atque eximium illius erga Athenienses studium simularet, in contione illa adhibitam Thucydides mihi videtur propter singularem, quae in ea inest, proprietatem recepisse, non quod ad breve hoc argumentum aptam eam esse putaret, sed ut in elabo-

[1]) cf. Roscher l. l. pg. 163.

rando libro octavo ad declarandam huius orationis magnificentiam ea uteretur.

Continent igitur hae orationes breves, quos Thucydides *ξύμπασαι γνῶμαι* vocat, conspectus, quos in retractando opere non dubium videtur, quin uberius explicatos et dicendi ornamentis distinctos in directas orationes mutaturus fuerit.

At negat Kruegerus graves et dignas esse has orationes, quae in historiam admitterentur. Sed sive scriptoris fuit opus describere, quibus causis Athenienses a Pisandro impulsi a vetere reipublicae statu discessissent, sive contionis imaginem nobis exprimere, in qua fortes praetores militum suorum animos confirmant, sive Alcibiadis sollertiam ac vim dicendi ostendere, qua Atheniensium animos capere sibique conciliare sciebat, hi loci omnes eo magis ad orationes inserendas opportuni mihi videntur, quo plus apud Athenienses in omnibus rebus facultas dicendi valuit (cf. II, 40, 2). — Neque vero illud, quod Kruegerus dicit, descripta iam esse ingenia et mores populorum belligerantium, statum civitatum et rationes inter illas intercedentes prorsus concedo. Quid? post Siciliensem cladem Atheniensium eorumque sociorum rationes nonne labefactari et in contrarium videmus converti? Quid? Chios, locupletissimam omnium insularum civitatem et Tissaphernem, potentem Persarum regis satrapam, nonne graves et Atheniensibus perniciosas partes suscipere legimus? At ne de viris quidem, qui in libro octavo principatum quasi obtinent, praeter Alcibiadem in prioribus libris descriptum quisquam fuit eximie memorabilis. Illud argumentum vel eo infirmatur, quod apud Thucydidem saepius viri per se ad historiam nihil valentes eo animo inducuntur, ut sententias alicuius factionis interpretum quasi loco pronuntient, veluti Sthenelaidas, qui in consilio illo Lacedaemoniorum, ubi de bello Atheniensibus inferendo consultatur, bellicosae sententiae auctor exsistit (I, 86) et Athenagoras, qui in Syracusanorum contione (VI, 36-40) Hermocratem impugnat, cum dicat illam, quam Athenienses in animo habeant expeditionem, nihil aliud esse nisi optimatium ludificationem, qua populo

oppresso ipsi rerum potiri velint. Neuter autem neque Sthenelaidas neque Athenagoras per totam historiam usquam in scena comparet. Sed omissa hac argumentatione non solum Alcibiadem sed etiam viros, quales Phrynichus Pisander Theramenes Thrasybulus erant, tantum puto in hac belli Peloponnesiaci parte valuisse, ut digni putandi essent, qui orationes haberent. Etenim Thucydides siquidem eorum hominum, quos loquentes inducit, personas lectorum oculis magis subicere vult, idem in Phrynicho, qui initio prudentem in rebus gerendis praetorem et moderatum optimatium propugnatorem se praebet posteaque funesta morte famosus evadit, idem in Pisandro, cuius summa in contionibus et dicendi et agendi audacia fit, ut paucorum imperium instituatur, idem in Theramene, qui optimatium factioni deditus tamen nunquam effrenatis illorum cupiditatibus indulget sed publicae saluti sua commoda semper posthabet [1]), idem in Thrasybulo, qui quamvis non tantis excellens, quantis Cornelius Nepos eum afficit virtutibus, tamen fortitudine et probitate insignis maxime de liberanda patria meritus est, non fecisset inepte (cf. VIII, 68): quod praecipue de Theramene et Thrasybulo statuendum est, quia Thucydides cum librum octavum post exactum demum bellum Peloponnesiacum scriberet, etiam earum rerum, quas posterioribus annis insigniter illi fecerant, rationem habere posset. Quid vero de eo dicam, quod Kruegerus putat Alcibiadi, cuius ingenium iam in superioribus libris esset descriptum, nullum esse locum orationis habendae opportunum? Num concedendum illud est, si res ipsae et historiae conscribendae ratio contrarium postulant? Alcibiades, qui non solum a patria expulsus erat sed etiam ad hostes transfugerat, revocatus a suis nonne habuit, quod apud populares suos contionaretur, ut et fortunae suae vicissitudines conquereretur et de eo, quod necessitate coactus contra patriam suam fecisset, defenderet ac sese excusaret? Revocatus ab iis, qui in gravibus rerum angustiis versantes opem et

[1]) cf. Wattenbach de quadringentorum factione. Diss. pg. 55 seqq.

consilia ab eo exspectabant in eoque unicam sibi salutem positam esse ducebant, nonne habuit, quod fractos et oppressos animos consolatione et spe erigeret atque firmaret? Et futurum fuisse censes, ut Thucydides hanc iustam orationem inserere praetermitteret atque in tam brevi et exili conspectu acquiesceret, nulla alia causa nisi ea, quod Alcibiadis ingenium in prioribus libris satis iam descripsisset? Immo vero concinnitatis ipsius causa directa maioris ambitus oratione non supersedisset, ut duabus illis orationibus (VI, 16/18, 90/92), in quibus Alcibiadem Atheniensis reipublicae amicum et adversarium videmus, tertiam hanc adiungeret, qua reconciliatum patriae ostenderet propugnatorem.

Transeamus nunc ad aliam argumentationem, qua [1]) Goellerus orationum in libro octavo penuriam declarare vult. Dicit enim clandestinis magis machinationibus, quam eloquentia publice forum moderante Phrynichum, Pisandrum, Antiphontem vires ingenii exseruisse et turbata comitiorum libertate oratoribus non iam impune fuisse loqui, ut vellent. Sed paullo uberius de his argumentis disseramus [2]). Ac primum quidem illud statuendum est, sodalicia illa, quae optimates ad iudicia et magistratus occupandos (ἐπὶ δίκαις καὶ ἀρχαῖς cf. 54, 3) coierant, ne post Siciliensem quidem cladem neque post probulos institutos, quibus rebus cum prytanum et contionum potestas tum imperium populare magnopere deminutum erat, tantum valuisse, ut ad suam voluntatem rempublicam regere pollerent: quod ex lege de Samiis post expulsos proceres libertate donandis lata, quippe quae cum optimatium consiliis vehementer pugnaret, vel maxime apparet (cf. VIII. 21). Tum demum, cum Pisander, qui princeps legationis e Samo insula venerat, Atheniensium populum adversis belli eventibus et difficultatibus ex Decelea ab Agide paratis oppressum ad mutandam reipublicae formam permovisset, sodalicia illa in unum coniuncta ad imperium populare subruendum se convertere coeperunt. Qua in re cum scelesta facinora veluti Androclis caedem perpetrarent, quibus

[1]) l. l. pg. 37 seqq.
[2]) Wattenbach l. l.

multitudini terrorem incuterent eamque a resistendo deterrerent, clandestinas machinationes strui necesse erat, quarum strenuus molitor fuit Antiphon, quem nec in forum nec in contionem unquam sua sponte prodiise Thucydides ipse narrat (cf. 68 2). Ut igitur hac de causa Antiphontis nullam apud Thucididem habemus orationem, ita Pisander Sami cum ceteris coniuratis in secreto factionis suae causam agit. Phrynichus autem, qua animi est moderatione atque consilio, perniciosis illis machinationibus aperte resistit easque libera oratione oppugnat (cf. 48). In urbe autem Athenis cum robur et ingenia civitatis abessent, itaque populares partes nihil fere pollerent, vix erant, qui in contionibus verba facere possent. Tamen Pisandro populum ad reipublicae formam mutandam impulsuro, praesertim cum magna optimatium pars Alcibiadem revocari nollet, summa dicendi et persuadendi vi opus erat: id quod ex ipso orationis illius argumento (C. 53) plane perspicitur. Sequenti autem tempore hetaeriarum in agendo et prudentia et audacia factum est, ut ex multitudine occultis caedibus perterrita nemo vel in senatu vel in contione coniuratis se opponere et ne loqui quidem auderet. Sed ubinam Athenis ex popularibus quisquam fuit, qui in contionibus causam agere posset? Propugnatoribus orbata multitudo quiescebat omniaque perpetiebatur. Quem igitur ad finem optimatium principibus rogationes, ut non iam magistratus sed soli milites mercedem acciperent et quinque milia civium tantummodo reipublicae gerendae interessent, (cf. 65, 3) amplis orationibus probare opus fuit populo ignavo et impotenti? Itaque Pisander Athenas iterum reversus legem de quadringentorum imperio instituendo non habita longa oratione tulit latamque populus nullo contradicente ratam esse iussit. In rebus igitur ipsis positum est, quod in hac libri octavi parte, ubi penes optimatium sodalicia posteaque penes quadringentos reipublicae summam esse videmus, aliquanto minus invenimus orationum. Sed quamquam Roscheri [1]) senten-

[1]) l. l. pg. 168.

tia non est probanda octavum librum, si a Thucidide retractatus fuisset, non minus quam sextum hoc est prae ceteris plerasque ostenturum esse orationes, tamen in ceteris huius libri partibus obliquas illas, quas supra attuli, orationes vestigia habemus earum, quas Thucydides, nisi tempus eum defecisset, elaboratas in directas mutavisset: unde sequitur, ut ad hunc octavum librum secundam manum non admoverit.

Iam ad idem illud probandum accedunt complures asperitates et in elocutione et in rebus positae; in quibus examinandis eo prudentius atque consideratius nobis agendum est, quo facilius illis eas admiscere possumus, quarum vel interpretatio ex Thucydidiae orationis proprietate repetenda vel difficultas librariorum corruptelis tribuenda est. Ex primo genere duo tantummodo exempla mihi liceat afferre. Miretur aliquis (cf. cp. 65, 3) Thucydidem inter duas, quae adhiberi possunt [1]), adiectivi verbalis structuras in uno eodemque enuntiato mutare; quae variatio puerilis videatur et vix digna tirone. Et a gravitate quidem stili nostro scriptori peculiari illud abhorret sed simplici quodam gaudio excusatur, quod scriptor, quicunque tantam operam tantamque diligentiam in perpolienda oratione collocat, ex variandi studio percipit. Illud enim statuendum est, Thucydidis orationem quamvis sententiis magis quam verbis abundantem tamen saepissime factam et dedita opera comparatam, videri esse artificii signandi Ita Thucydides inter eos, qui ut cum Cicerone loquar [2]), Periclis sucum retinent, et sophistas, auctores illos faciendae et ornandae orationis, medium locum occupat. Ex illo igitur artificii exprimendi studio, variatio quoque, quam modo dixi, derivanda est. In altero loco (Cp. 63 2/3), quem Kruegerus recte mihi videtur emendavisse, offendit quidem participii nominativus *ἐπαναστάντες αὐτοί*, quippe qui ad genitivum *αὐτῶν τῶν Σαμίων* referendus sit, sed eo declaratur, quod Thucydides in animo habuit *ὅτι οἱ Σάμιοι προὔτρεψαν*, a quo nominativo *ἐπαναστάντες αὐτοί* pendere voluit Is autem par-

[1]) cf. Matthiae „griech. Grammat." §. 447, 4 (2. Aufl).

[2]) Cic. de orat II, 22, 93.

ticipii nominativi usus quamvis a grammaticae severitate abhorrens compluribus tamen Thucididis exemplis confirmatur veluti in eiusdem libri cp. 104, 3 *ἐπειγομένων τῶν Πελοποννησίων — ὑπερσχόντες* et in II, 53, 3 *οὐδεὶς νόσος ἀπεῖργε — κρίνοντες — οὐδεὶς ἐλπίζων*, ubi ad *κρίνοντες* verbum *ἀπείργοντο*, ad *ἐλπίζων* verbum *ἀπείργετο* mente supplendum est. — Alterius vero generis plurima exstant exempla, quorum asperitates vel codicibus recte inter se compositis vel sana interpretandi et coniciendi ratione adhibita tolli possunt veluti Cpp. 22, 2; 43, 3; 94, 3 alias, quos locos omnes examinare et emendare hic alienum est. Accedo igitur nunc ad eos, quorum iniquitates ex neglegentia quadam scriptoris mihi videntur esse profectae.

Ac primum quidem neminem, qui libri octavi elocutionem respiciat, fugerit, quam leviter ac neglegenter interdum enuntiata inter se sint connexa: qua re in Thucydide eo magis offendimur, quo severius et artius cum rationes, quibus enuntiatorum sententiae continentur, tum causam efficientem et effectum certis particulis plerumque ab eo expressa esse videmus. Perlustremus nunc locos vitiosos.

Cp. 5, 1. Accuratius Thucydides enuntiata *οἱ δ' ἦλθον — καὶ παρεσκεύαζε*, quae inter se respondent, coniunxisset, si scripsisset: *καὶ οἱ μὲν ἦλθον — ὁ δὲ παρεσκεύαζε* ut in eodem capite §. 4 invenimus *καὶ ὁ μὲν ἔπρασσε, Χῖοι δὲ*.

Cp. 27, 4 scriptor ad praegressam, quam Phrynichus habuit orationem ea, quae ille fieri voluit, levi particula *δὲ* adiungit; quae quamquam ad quaelibet connectenda adhibetur, hoc loco parum mihi videtur valere, cum consecutivam particulam veluti *δή* sive *ὥστε* vel similia ut *διὰ τοῦτο* postulemus.

Cp. 66, 4. Copulantur verba *ἡσσᾶντο* et *ἐξευρεῖν οὐκ εἶχον* ita ut sententiae, quae non modo non consentiunt sed quarum una alteri subiecta est, eundem in enuntiato obtineant locum. Thucydides enim dicere vult, populum sententias, quibus non pervinceret, celasse, cum internoscere non posset, utrum quis ex coniuratorum numero esset, necne. Neglegenter igitur hanc enuntiationem, quae sero ei inter scribendum

in mentem venerat, scriptor assuit. Quod vitium cum in Thucydidem conferre non vis, non liceat tibi *ἀδυνατοὶ ὄντες* (quod Poppo commendat difficultati illi non medicatus) sed *οὐκ εἶχον* ut a posteriore manu inculcatum eicere. Sed ne illud quidem fieri potest, cum haec verba in omnibus libris manuscriptis exstent.

Cp. 80, 2. Cumulantur hoc loco tot participia, ut fera quasi diluvie totum enuntiatum perturbetur. Nam primum ad subiectum *αἱ μὲν* verbum finitum desideratur, tum particula *καὶ* post *χειμασθεῖσαι* ante hoc vocabulum exspectanda est, denique particula *δέ*, quam optimi codices ante verba *πλείους* ostendunt, absurda est. Quamquam posteriora duo vitia, utpote quae facile sint sanabilia, librariorum culpae tribuere non dubito, tamen primae neglegentiae crimine Thucydidem non absolvo, quam certe, cum perlustravisset iterum librum octavum, cum fefellisse nego.

Cp. 82, 1. Levissima particula *τε* scriptor enuntiatum *τήν τε παραυτίκα ἐλπίδα — ἠλλάξαντο* cum prioribus ita coniungit, ut is, qui initium huius enuntiati legit, tertium contionis placitum addi opinetur. Immo vero narratur a scriptore, quomodo militum animi Alcibiade recepto corroborati ad quaeque speranda et audenda affecti atque incitati sint. Enuntiata autem tam diversae sententiae Thucydides in elaborata historiae suae parte tenui illo copulationis genere non coniunxisset. Quare scriptorem graviores certe particulas, quales sunt *καὶ — δή*, *τῦν δή*, *τότε δή*, similia, si librum octavum iterum perlegisset, positurum fuisse existimo — Hos igitur locos dissolutiore enuntiatorum connexu laborantes inveni, sed cum magna Thucydidiae elocutionis varietate penitus non sim imbutus, fieri potest, ut aliquot eiusdem generis oculos meos fugerint. Verum cum videam, quam arte quamque accurate Thucydides in hoc quoque libro plerumque enuntiata pro intercedentibus rationibus coniunxerit, quam adstricte, ut exemplis utar, sententiae in cpp. 76, 2 3, 86, 1 2, ubi complura enuntiata particula *γὰρ* copulata sunt, inter se cohaerent, quam clare in cp. 99, 1 2, periodi artificiose constructae oratio

feratur, iudico, vitia, si quae inveniuntur, non multa esse posse et, quae exstant, ea tamquam e calamo scriptori esse lapsa.

Sed ad ceteras octavi libri asperitates accedamus, quas, cum diversissimi sint generis, non disposui sed ita enumerabo, ut capitum ordine praebentur.

Cp. 15, 2. Exspectamus pro *ἄλλας δὲ — τὰς δὲ ἄλλας*, cum ex viginti illis navibus, quae ad Piraeum in statione fuerant (cf. 10, 2) octo in Asiam missis duodecim restent. Quae autem restant, eae appellandae sunt *αἱ ἄλλαι*. Declarandum autem leve illud Thucydidis peccatum inde, quod eius rei, quam in cp. 10, 2 narraverat, oblitus erat.

Cp. 27, 2. Huius loci caliginem, quam recte discussit Heilmannus [1]), cum vocabulum *ἔσται* eiecit, et inde ortam esse puto, quod Thucydides verbi antea positi *ἔξεστι* non iam meminerat neque librariis expensam fero, quia vocabulum *ἔσται* et in codicibus omnibus servatum et scholiastae adnotatione confirmatum est.

Cp. 38, 3. Quod vocabulum *διαχείμενοι* in uno eodemque enuntiato repetitur, nec venustum est, nec cum vario Thucydidis dicendi genere convenit, nisi cum scriptor tali repetitione ornamentum quoddam vel lumen orationi addere vult: quod consilium hoc loco certe reiciendum est.

Cp. 44, 3. Verba *οἱ Πελοποννήσιοι* cum ad sententiam explendam necessaria essent, iniquo loco agglutinavit Thucydides nec dubito, quin in retractando libro octavo, ut ordinare verba consentaneum, est scripturus fuerit: *οἱ δὲ Πελοποννήσιοι χρήματα μὲν ἐξέλεξαν*.

Cp. 46, 1. Videmus hoc loco, qui librorum manuscriptorum varietate perturbatus est, duobus enuntiatis, quae particulis *ἤ — ἤ* inter se cohaerentia respondent, unam sententiam Thucydidem complexum esse hanc: Alcibiades suadet Tissapherni, ne Punicis navibus exstructis maiorem redderet numerum eorum, quibus stipendium solvendum esset. Quam sententiam non ita exprimi posse, ut a Thucydide expressa est,

---

[1]) cf. Uebersetzung d. Thucyd. mit Anmerkungen.

nemo est, quin intellegat. Quamobrem hic quoque locus testimonium mihi videtur praebere operis nondum satis perpoliti manifestissimum.

Cp. 64, 3. Non intellego, cur Thucydides inter praesentis et perfecti infinitivum (*ὀρθοῦσθαι — καταλελύσθαι*) mutaverit. Ut utrumque ei licuit adhibere, ita in sententiis pariter collocatis alterutrum vel hoc vel illud ei utendum erat. Mihi autem is videtur minutias agere, qui discrimen quoddam inter illa tempora hoc loco intercedens investigare conatur.

Cp. 65, 2. Parum accurate Thucydides tempora, in quae actiones, ut ita dicam, verborum *καταλαμβάνουσι* et *ἀποκτείνουσι* incidunt, seiunxit et eodem praesenti tempore usus res per se claras miscuit. Non iis, quae iis subsunt, rationibus oratione expressis, neglegenter singula enumeravit. Expectandum autem esset pro praesenti tempore *ἀποκτείνουσι* vel plusquamperfectum vel aoristus.

Cp. 72, 2. Nemo est, quin offendat, quod Thucydides cum substantivo collectivo *ὄχλος* in uno enuntiato et singularem numerum *ἐθέλῃ* et pluralem *μεταστήσουσι* coniungat; quod quamquam per sermonis usum ei licet, tamen ita tironis ludum ostendit, ut Thucididis non tam variandi studio quam levi indiligentiae tribuendum sit.

Cp. 74, 3. Refert hoc loco Chaereas, Samii exercitus legatus, qui quadringentorum manus effugerat, de crudelissimo illorum dominatu ita, ut rem dicendo magnopere amplificet. Effundit querimonias quattuor enuntiatis, quae particulis *τε — καὶ — καὶ — καὶ* copulata sunt. Sed in primo et ultimo subiectum desideratur neque per grammaticam structuram ad verbum finitum *διαφοῦνται* verum subiectum *οἱ τετρακόσιοι* supplere licet, cum in praecedente enuntiato *παῖδες καὶ γυναῖκες* subiectum sit. Quamobrem aut hic quoque locus neglegentis scribendi generis exemplum praebet, aut, id quod fortasse non omnino reiciendum est, Thucydides, quantam animi perturbationem Chaereas in dicendo ostentavisset, depingere oculisque nostris subicere voluit. Etenim nos pro-

fecto cum percito animo quid narramus, saepius res tantummodo, quarum gravitate capti sumus, non personam, quae eas fecit, curamus, vel si nomen illius semel diximus, pronomine solo utimur.

Cp. 76, 4. Quamquam Thucydidis in obliquae orationis temporibus licentia summa est, (cf. III, 25, 2; V, 65, 6; 14, 1; VI, 77, 2) tamen transitus ab infinitivo *κρατεῖν* ad indicativum *καταστήσονται* tam inusitatus est tamque inauditus, ut operis non retractati signum in eo esse mihi videatur. Non offenderemus profecto, si aut prorsus in directam orationem transiisset (*καὶ νῦν καταστησόμεθα*) aut si particulam *ὅτι* addidisset.

Cp. 82, 1. Duo sunt decreta, quibus militum contio Alcibiadi summam imperii mandat. Ad unam autem hanc sententiam exprimendam cur Thucydides, quamquam verba *αἱρεῖσθαι* et *ἀνατιθέναι* particulis *τὲ — καὶ* copulata eundem enuntiati locum obtinent, primum aoristo deinde imperfecto utatur, mihi non liquet, praesertim cum II, 65, 2 duo aoristi in simili voce exstent: *εἵλοντο καὶ ἐπέτρεψαν*. Quamobrem etsi statuendem est, Thucydidem, qui fundamenta quasi historicae orationis iecit, subtiles temporum rationes non eodem modo quo posteriores scriptores discrevisse, hoc tamen loco ipsius aequalitatis causa oportuit eum *ἀνέθεσαν* scribere, ut paullo ante aoristum *εἵλοντο*.

Cp. 87, 4. Hunc locum, quem interpretes magnopere exagitaverunt, Poppo mihi eo rectissime explicuisse videtur, quod *ἂν διεπολέμησε* verbum finitum supplendum esse existimat. Quam ellipsin in hac, qua diversae ab historico expenduntur sententiae, exili narratione cum Heilmannus [1]) et alienam et inauditam iudicet, idque mihi recte videatur monuisse, non de industria sed neglegentia quadam Thucydidem verbum finitum omisisse arbitror.

Cp. 89, 2/3. Quamvis magna sit in codicibus discrepantia scripturae, tamen neque iuste iis comparatis neque sanis coniecturis fieri potest, ut aliquo modo locus plane expediatur. Offendunt enim cum multa alia tum maxime infi-

[1]) Heilmann l. l.

nitivus ἀπαλλάξειν (vel ἀπαλλαξείειν) cum articulo coniunctus, qui, si modo Kruegeri lectionem φοβούμενοι δ' ὡς ἔφασαν probamus, quo referendus sit, ignoramus. Goellerus autem quamquam ex codicibus quibusdam φοβούμενοι δ' ἀδεῶς ἔφασαν et ex Poppone coniecturam οὔ τοι recepit, tamen totum hunc locum sanare non potuit, quia qua de causa scriptor participium φοβούμενοι ab obiectis separaverit, intellegi nequit. Quamobrem ego quidem, etsi librarios corrumpendi huius loci crimine non libero, tamen neglegentiam, quae exeunte capite ex infinitivo temere posito perspicitur, in Thucydidem ipsum cadere existimo.

Cp. 97, 1. Utrum hoc loco Popponis coniectura μηδεμιᾶς ἀρχῆς accipienda sit an Thucydides mente φέρειν et διδόναι μισθόν commiscuerit, in medio positum esse volo

Transeamus nunc ad eos locos, in quibus rerum asperitates insunt: quorum numerum ego quidem non ita magnum esse video. Ac primum quidem duo afferam exempla levioris et sane ignoscendae indiligentiae.

In cp. 15, 2 narrat Thucydides octo naves Strombichide duce ab Atheniensibus adversus Chium, quae insula defecerat, missas esse, deinde (cp. 17, 3) Thrasyclem cum duodecim navibus auxilio venisse: unde sequitur, ut in summa viginti Atheniensibus fuerint naves. Sed in eodem capite illos undeviginti navibus Lacedaemonios persecutos esse scriptor narrat. Adde huc, quod in cp. 19, 1 Diomedontem cum sedecim navibus advenisse refert, cui postea decem naves Leonte duce subvenisse narrantur (cp. 23, 1). Tamen in eodem capite Athenienses cognoscimus quinque et viginti navibus contra Lesbum navigasse, etsi summa erat navium viginti sex. Sed diiudicare nolo, utrum Thucydides, quid de una nave, quae utroque loco desideratur, factum esset, de industria nihil dixerit minutias agere arbitratus, an in numero erraverit In talem autem errorem eumque graviorem in cp. 104 incidit, ubi navium numerum, quibus et Athenienses et Lacedaemonii in pugnam profecti sunt, statuit. Ex iis enim, quae antea narrata sunt (cp. 100, 5; 102, 2), apparet Atheniensibus in summa fuisse naves octoginta unam, Peloponnesiis

(103, 1) octoginta sex: qui uterque numerus cum iis, quae in cp. 104, 1 de classium magnitudine traduntur, non convenit. Quamquam nonnulli interpretes[1]) numerorum transpositione facta (qua in re lectionem uno tantum codice confirmatam exceperunt[2]) Peloponnesiorum classi priorem navium numerum vindicaverunt, alterum tamen numerum unius et octoginta navium expedire non possunt. Haackius transpositione illa non probata numerum septuaginta sex eo declarat, quod ab Atheniensibus quinque naves ad Lesbum insulam tuendam relictas esse conicit. Sed eo refutatur, quod et mirum videretur, cur Thucydides de hac re nihil rettulerit et Athenienses, ut Kruegerus recte monuit, cum hostem navium multitudine superiorem esse (cf. 104, 4) ignorare non possent, partem navium suarum eo, ubi custodia non admodum opus erat, misisse negandum est. De Peloponnesiacarum navium numero sunt qui sexaginta octo ex octoginta sex a librariis corruptum esse putent; quod si ad numeros significandos literulis illi usi sunt, concedendum non est, cum signa ξή et πς nimis diversum oculis praebeant adspectum. Utut est, neque ex codicibus neque coniecturis quidquam statui potest, quod cum praecedente historia congruat. Quamobrem Thucydidem ipsum neglegentiorem in his rebus fuisse, neque eorum, quae de classium multitudine antea narraverat, satis rationem habuisse iudico.

Restat, ut duo argumenta, quae Roscherus[3]) eidem sententiae, Thucydidem ad librum octavum secundam manum non admovisse, putat servire, proponam atque examinem. Ac primum quidem postquam recte ille monuit, scriptorem nostrum tam moderatum tamque alienum ab omni partium studio in personis depingendis se praestitisse, ut plerumque, qua natura fuerint, non ex iudiciis ab ipso latis sed ex orationibus, quas illos habentes induxit, repetere debeamus, in tribus locis (68, 2/3; 73, 2; 86, 3) ubi, Thucydides de Anti-

---

[1]) cf. Goeller l. l.
[2]) cf. Dionys. Historiographica ed. Krueger pg. 319.
[3]) Roscher l. l. pg. 233.

phonte, Hyperbolo, Alcibiade iudicat, tam vehementem et incitatum animi affectum eius erumpere sentit, ut in perpoliendo libro octavo eum graviora haec iudicia deleniturum fuisse putet. Sed consideremus haec loca. Summam quidem laudem impertivit Thucydides Antiphonti atque adeo eum propter dicendi facultatem et vim praedicavit, ut eum cum optimo quoque aequalium conferret. Sed singularis illa laus non eo, quod Thucydides praeceptori reverentiae documentum edere voluit (Thucydidem enim Antiphontis discipulum fuisse doctorum quorundam opinio est, ut Kruegerus magna sagacitate probavit [1]) sed inde declaratur, quod, ut ingenium illius nobis describeret, ad orationes inserendas se convertere non potuit, cum ille et in contione raro exortus esset atque in clandestinis potius sodaliciis oratoriam virtutem ostendisset, et eae orationes, quas palam habuit, non ad bellum Peloponnesiacum sed ad privatorum iudiciales causas spectassent. — Iam de eorum, quae ad Hyperbolum pertinent, verborum acerbitate eo minus mirandum nobis est, quo maiore illum in ea, quae inter Alcibiadem et Niciam intercesserat dissensione, iactavisse se constat importunitate, et quo iustiore optimus quisque civis flagraverat ira, quod pestis illa civitatis eadem, qua boni et probi tantummodo homines, affectus erat poena [2]). Denique quod Alcibiadem dicit Thucydides tunc temporis primum reipublicae commoda adiuvisse, haec verba ita interpretari velim, ut scriptorem mente cogitasse putem, Alcibiadem ut antea suis commodis inservivisset, ita tunc primum summa abstinentia reipublicae consuluisse, quoniam classis imperator, Athenis expugnatis, facillime ab adversariis, qui exsilii sui auctores fuissent, poenam repetere posset. Hac igitur de causa Thucydides illam Alcibiadis laudem praeter ceteras excellentem luculentis verbis praedicasse mihi videtur. Ceterum illud monendum est, Thucydidem dixisse ἐδόκει ὠφελῆσαι non ἐφαίνετο ὠφελήσας, quarum prima vox, cum significet „existimabatur adiuvisse“ non ita laudem illam auget, ut

---

[1]) Krueger „Leben d. Thucyd.“ pg. 88.
[2]) cf. Plut. Nic. 11.

altera. — In eodem autem numero Roscherus[1]) etiam cp. 97, 2 et 24, 4 habet, de quibus locis infra disseram.

Tribus igitur illis locis sententiam, Thucydidem extremam operis partem non retractavisse, sustentari nego. Iam ad alterum transeamus argumentum. Colligit Roscherus[2]) cum liber octavus formulis δοκεῖ μοι, εἰκὸς δὲ, ὡς λέγεται, aliis similibus, quibus scriptor aliquid diiudicare vel non vult vel non potest, prae ceteris abundet, in illo multas res dedita opera in dubio relictas esse, de quibus Thucydides, si ad illum secundam manum admovisset, certam pronuntiasset sententiam. Sed primum statuendum est, num vere liber octavus ceteros formularum illarum numero aliquanto superet. Quod si ita est, ratiocinationem illam probabilem esse concedo; sin autem formularum illarum numerus paullo est superior quam in ceteris libris, discrimen illud fortasse inde intellegendum est, quod Thucydides casu quodam de iis rebus, quas in hoc libro narrat, minus accurate certior est factus. Vis autem huius argumenti ea re a Roschero ipso diminuitur, quod Thucydidem formula λέγεται, etiamsi de veritate rei, quam commemorat, non dubitat, usum esse contendit. Quamobrem ego quidem argumentum illud non multum valere existimo.

Sed satis demonstrasse mihi videor, cur liber octavus non iterum a Thucydide elimatus ad nostram venerit aetatem.

Attingam nunc breviter, quaestionem quam Poppo[3]) de sexto et septimo libro movit. Conicit enim, cum in illis magnus eorum locorum numerus sit, qui correctione egere videantur, et in quibus tamen codices etiam ii, quibus plurimum auctoritatis prius tribuere consueverimus, in scriptura parum consentiant: hos quoque secundam manum deficere. In eandem autem sententiam etiam illud quadrat, quod in septimo libro numerus et ambitus orationum prae ceteris libris valde exiguus est, et aliquae earum habendarum occasiones viden-

[1]) Roscher. l. l. pg. 245.
[2]) Roscher. l. l. pg. 124.
[3]) cf. Prolegom. I, 1, pg. 30.

tur esse praetermissae [1]). Atque ut alterum locum primum absolvam, quamquam in cp. 21 orationem, qua Gylippus, novus Syracusanorum dux, de continuandi belli ratione contionetur, et in cpp. 47, 48, ubi Niciam et Demosthenem in Atheniensium praetorum consilio, qui belli sit status, quidque sibi faciendum sit, deliberantes videmus, apto loco directas orationes fore fateor, tamen tres illas, quae in cpp. 61—64, 66—68, 77 exstant, Thucydidi ea de causa suffecisse neque plures eum inserere voluisse puto, ne in hoc libro, in quo utrasque belligerantes partes summa virium contentione ad ultimum eventum depugnantes videmus, artam rerum gestarum perpetuitatem orationibus interrumperet [2]). Ut nunc ad illud transeam, quod primo loco ex Poppone collaudavi, quamquam concedendum est, in sexto et septimo libro non minus quam in octavo inveniri locos, qui optimis codicibus inter se congruentibus, magnas interpretandi difficultates praebeant (veluti VI, 17, 5; 89, 5; VII, 8, 3; 28, 2—3; 31, 3; 71, 2), tamen in his libris, in quos Thucydides splendidissima historicae artis lumina fudisse quodammodo et dilatasse mihi videtur, vitia illa non scriptoris nostri sed librariorum culpae, qui in longo opere facile satietate defessi sint, tribuenda esse iudico; quod singulis exemplis demonstrare longum est.

Veni nunc ad alteram, quam mihi proposui quaestionem: de Thucydidii operis editore. Quia Thucydides imperfectum nobis opus suum reliquit, luculenter et per se apparet, non illud ab eo editum esse, nisi forte quis operis partes singillatim in vulgus emanasse credit. Nunc igitur quaeritur, num quid certi vel probabile, quis Thucydidis operis editor fuerit, statui possit. Et exstat testimonium de hac re apud Diogenem Laërtium II, 59: *λέγεται δέ, ὅτι καὶ τὰ Θουκυδίδου βιβλία λανθάνοντα ὑφελέσθαι δυνάμενος αὐτὸς Ξενοφῶν εἰς δόξαν ἤγαγεν*; quod testimonium, an aliis argumentis confirmari possit, nunc videamus. Ac primum quidem quaerendum est, num forte illud ab aetatis rationibus, quae inter Thucydidis et

[1]) cf. Poppo l. l. II, 1, pg. 9.
[2]) cf. Roscher l. l. pg. 168.

Xenophontis vitas intercedunt, abhorreat: qua in re quando Thucydides mortuus sit, opus est statuere. Pausanias (I, 25, 11) ex exsilio eum redeuntem dolo interfectum esse narrat. Rediisse autem eum anno 403 constat, unde sequitur, ut hoc eodem anno vita decesserit. Sed illam Pausaniae narrationem pro certa habere non licet. Quid enim? quando historiam, qualis ad nostram aetatem venit, ad illum finem a Thucydide perductam esse censes? Nempe post reditum si non universam at magnam historiae partem compositam esse, ex hac ipsa apparet. — Neque minus illud reiciendum est, quod Dodwellus de Thucydidis morte, quando fuerit, disputat[1]). Ex eo enim loco, quo Thucydides de tribus Aetnae eruptionibus, quandoque duae illarum evenerint, refert, Dodwellus eam, cuius tempus scriptor non significet, eandem esse colligit, quam Diodorus (XIV, 59) anno 396 accidisse commemorat, unde effici, ut Thucydides minimum usque ad hunc annum vitam egerit. Sed haec ratiocinatio ab huius loci sententia abhorret, quia scriptor, cum unius eruptionis tempus accurate non significet, aut ignoravit illud aut dedita opera praetermisit: quod utcunque se habet, si Dodwelli sententia probanda esset, certe ita fere Thucydides locutus esset: tertia praeterea eruptio post huius belli finem evenit neque plures accidisse dicuntur, postquam Sicilia a Graecis inculta est. Nunc vero eam eruptionem, quam certo tempore non definit, antiquissimam earum, quas commemorat, fuisse liquet. Dodwelli igitur quaestionem, incertis argumentis fultam quamvis reprobare debeamus, tamen si non certi at verisimile quiddam ex ea licet assequi: non futurum fuisse, ut a Thucydide si inter vivos fuisset, cum quarta a Diodoro commemorata eruptio accideret, comparationis causa ea silentio praetermitteretur; unde coniciendum esse, Thucydidem non post annum 396 diem supremum obiisse.

Iam vero ex alio loco, qui est in Marcellini Thucydidis vita (§§. 29/30) sunt, qui de scriptoris aetate coniecturam

---

[1]) cf. Krueger „Leben des Thucydides“ pg. 64 ff. Ullrich „Beiträge z. Erklärung d. Thucyd.“ pg. 92 ff.

facere conati sint[1]). Verbis enim *συνεχρόνισε δὲ* plerique interpretes narrationem a Thucydide poëta ad scriptorem transire putant. Nec immerito. Sed praeter hunc repentinum et asperum tansitum tot nobis occurrunt vitia, ut ex tam corrupto loco nihil certi colligere nobis liceat. Ut alia omittam, quaenam ratio, quaeso, inveniri potest inter Archelaum regem, poëtarum fautorem, et Thucydidem, rerum gestarum scriptorem? Quid hoc sibi vult, Thucydidem post Archelai demum exitum gloria floruisse? Nimirum, cum ea ex scriptis tantummodo, quae aliquanto post divulgata sunt, in mortuum scriptorem possent redundare. Sed illud dicere absurdum est. Mirum mehercle in modum Marcellinus, ut quam plurima de Thucydide compilaret splendidissimaque doctrinae suae specimina ostentaret, scriptorem et poëtam permiscuit Quare valeat hic locus et potius ad ipsius Thucydidis opus nos convertamus, ex quo certiora spero nos esse hausturos[2]). Scriptor enim (II, 100) cum Archelai de Macedonia merita praedicat eumque prae ceteris regibus floruisse exponit, ita narrat, ut totus hic locus post mortem demum Archelai scriptus esse videatur. An exploratum de rege iudicium ferre eumque cum aliis comparare potest, nisi totum illius regnum animo comprehendit? Adde huc, quod scriptor noster, ut Ullricus eleganter exposuit, nullius hominis nisi mortui mores et indolem vel virtutes et vitia aut laude aut vituperatione afficere sed quales agendo se praebeant, referre solet. Atque cum Archelaum anno 399 mortuum esse constet, Thucydidem minimum usque ad hunc annum vixisse, cum magna probabilitate efficitur. Habemus igitur temporis quasi terminos, inter quos Thucydidis mortem accidisse sumendum est. Iam alio argumento utitur Ullricus[3]), quod si non necessario at aliquo tamen modo ad eandem sententiam referendum est. Thucydides enim (VIII, 68, 3) postquam Antiphontis oratoriam laudem et in iudiciis et in contione excellentem praedicavit

---

[1]) cf. Krueger l. l. pg. 61.
[2]) Ullrich, l. l. pg. 147.
[3]) Ullrich l. l. pg. 137 Anm.

eorum, qui usque ad suam aetatem vixissent, quemquam fuisse negat, qui clariorem defensionem haberet illo, qua in comparatione Socratis, cuius egregia *ἀπολογία* multorum admirationem moverat, animo ei obversari videtur exemplum. Is autem cum anno 399 venenum obduceret, eo magis comparatio illa ad Socratem spectabat, quo recentior defensionis illius memoria in Atheniensium animis insidebat. Hinc igitur quoque cum verisimilitudine effici potest, Thucydidem inter annum 399 et 396 diem supremum obiisse. Ut nunc de Xenophontis vita, quoad ad nostram quaestionem spectat, dicamus, Kruegerus [1]) contra Niebuhrium Xenophontem iam anno 399 ab Atheniensibus exsilio multatum esse summa doctrina demonstravit: qua poena ea nempe de causa affectus est, quod Thibroni, Lacedaemoniorum praetori, eos qui ex decem Graecorum milibus supererant, milites tradiderat. Quare in Asia mansit posteaque in Agesilai exercitu, qui Thibrone et Dercyllida abrogatis contra Persas clarissime rem gessit, versatus cum eodem, Corinthio bello exorto, anno 394 in Graeciam rediit et pugnae, quam Lacedaemonii contra Thebanos et Athenienses committebant, ipse interfuit. Post hanc igitur pugnam Coroneensem Lacedaemonii hospitium ei et praedium, quod in Eleorum finibus situm Scillus vocabatur, donaverunt: ubi ab anno 392 circiter vixit magnamque vitae partem in libris conscribendis collocavit. Illo igitur tempore ad Thucydidis opus edendum aggredi potuit et edidit, si modo editor est habendus. Quaerat nos quispiam, cum Diogenis Laërtii testimonium respicit, unde factum sit, ut Thucydidis liber aliquamdiu occultus lateret, donec Xenophonte auctore in lucem prodiret. Quid? Potuitne fieri, ut heredes Thucydidis librum Xenophonti perficiendum mandarent, fortasse a mortuo ipso iussi? Quid? Xenophontem, cui tale opus et edere et absolvere honori et cordi magnopere esse deberet, leviterne ex manibus abiecisse an non cum fide reservavisse putas, quoad

---

[1]) Krueger „histor. philol. Studien" II, 245—252.

non iam militaribus rebus impeditus in illud operam suam conferre ei liceret? At siquidem Thucydides eo tempore, quo Xenophon in exsilio vitam agebat, mortuus est, quomodo opus eius in Xenophontis manus pervenire potuit? De hac re cum nihil certi traditum sit, iterum coniecturae locus datur. Verisimile est, post Thucydidis mortem uxorem eius in Thraciam, ubi coniugis sui et propinqui et praedia essent, se contulisse; quod eo magis credendum est, si Cratippo apud Marcellinum (§. 33) et Plutarcho (Cimon 4) fidem habemus, qui Thucydidem in Thracia diem supremum obiisse narrant. Inde autem facillime Thucydidis opus in Xenophontis, qui tunc temporis in Asia commorabatur, potestatem venire potuit. Quamquam concedo, aliorum [1]), qui Thucydidis mortem ante a. 400 consecutam esse putant, veluti Letronii sententiam melius cohire cum ratione, qua scripta eius in Xenophontis manus pervenire potuerint, quippe qui, cum Thucydides vita decederet, Athenis commoraretur, tamen haec sententia non minus in coniectura posita est nostra, nobis autem reicienda videtur esse, cum nostra de Thucydidis morte argumentatio sanioribus causis stabiliatur. Verum utcunque de hac re disseritur, ex vitae rationibus, quae inter utriusque scriptoris aetates intercedebant, nihil grave fuit impedimentum, quominus Xenophon Thucydidii operis heres et editor fieret, neque quidquam interest, utrum ille fideicommissum ex anno 410 an ex posteriore in futurum servaverit.

Iam alterum accedit argumentum [2]). Habemus ex iis, qui imperfectam Thucydidis historiam continuaverunt, unius Xenophontis Hellenica, quae artissimo vinculo *μετὰ δὲ ταῦτα* ad Thucydidium opus adiuncta esse videntur. Sed constat inter omnes fere viros doctos lacunam inter utrumque opus intermissam esse, quamvis de ea ipsa dissentientes. Quaeri-

[1]) cf. Goeller l. l. I. pg. 34.

[2]) cf. Buechsenschuetz, „Xenophons Griech. Geschichte" Philol. XIV. 508—49. Sauppe, praefatio z. Ausg. d. Xen. „historia Graeca" pg. X. seqq.

tur nunc, num Xenophon ita belli Peloponnesiaci historiam supplere voluerit, ut Thucydidium opus ipsum absolveret. Ex fontibus quidem, qui hac de re exstant[1]), nihil aliud effici potest nisi ut ille inde, ubi Thucydides interruptus erat, exordium ceperit. Quodsi videmus, multas in Hellenicorum initio inveniri res, quae et ex Thucydide intellegi nequeunt neque per se in historiae perpetuitate satis liquent, aut Xenophon in continuando Thucydidis opere indiligentiae arguendus aut initium Hellenicorum amissum est; ad quam alteram sententiam tum demum confugere debemus, si indiligentiam illam alicunde declarare nequimus. Sed primum, ut Breitenbachius[2]) iam monuit, et ea quae apud Xenophontem desint, levioris momenti esse et brevitatis studio tribuenda, deinde Thucydidem in extremo opere eorum, quae ad proxima praemunienda pertinerent, multum praetermisisse contendo. At Xenophontis erat, quae Thucydides peccaverat, ea respicere et resarcire. Sed alia forsitan eum fugerint, alia, quae animadverterat, propterea quod historiae perpetuitas facile potuit interrumpi, explenda non fuere. Quamobrem Hellenicorum initium integrum esse puto: quod si statuendum est, non dubium videtur, quin in prima editione Thucydidium opus et prima Hellenicorum pars coniuncta fuerint. Constat enim Hellenica non uno tenore sed diversis temporibus scripta esse, dissentientibus viris doctis, ubi partes separandae sint. Ego quidem Niebuhrium[3]) sequor, librum primum et secundum a ceteris seiungentem, sed ita, ut non omnia, quae ille ad firmandam sententiam suam attulit, argumenta probem, praeclara Buechsenschuetzii dissertatione cognita. Cur autem illi assentiar, ex proximis apparebit.

Non solum externo illo signo Xenophon suum opus cum Thucydidio connexit, sed aliis interioribus rebus ad exemplum illius quam proxime accedere voluit. Videmus enim in primo

---

[1]) Diod. XIII, 42, Marcell. §. 45, Anoncym §. 5. Dion. Hali c. ep. ad Pomp. 4.

[2]) cf. Ausg. d. Hellenica pg. V seqq.

[3]) cf. Rhein. Museum I, 194, 1827.

eum et secundo libro eadem fere ac Thucydidem accurata temporum descriptione usum esse, quamquam ab illa consuetudine quinquies oblivione quadam discessit, cum semel initium anni 410, quater hiemem ineuntem significare praetermisit. (Ceteras temporum notationes, et Olympiadum et archontum et ephororum neque minus enumerationes annorum belli praeteritorum utpote suspectas eximendas esse omnes fere interpretes consentiunt [1]). In posteriore autem historiae Graecae parte hanc diligentiam non servat. — Accedit, quod ut in quinque extremis libris liberior ordo rerumque, quae post bellum gestae sunt, ipsius Xenophontis propria ac peculiaris relatio invenitur, ita in prioribus aliarum gentium res cum ipso opere cohaerentes ad narrationem uniuscuiusque anni plerumque adiunguntur. Quod discrimen Buechsenschuetzius eo intellegi vult, quod res, quae hic narrantur, in unum bellum Peloponnesiacum redundant eoque comprehenduntur, illic pro locorum, in quibus geruntur, varietate in singulas partes quasi conglomeratae ostenduntur. Sed hoc argumentum, quamquam ingeniose a docto illo viro inventum est, apud Xenophontem non tantum quantum Thucydidis exemplum valuisse puto, quia adnotationes historicae factae imitationis speciem quandam in se habentes ex ratiocinatione illa non videntur esse profectae. — Adde huc tertium illud, quod in Hellenicorum priore parte complures exstant orationes ampliores, in posteriore, quae plus duplicem librorum ambitum complectatur, nullae paene inveniumtur. — Ad eandem vero sententiam facile quis etiam illud referat, quod Niebuhrius [2]) illius, quod inter priorem et posteriorem Hellenicorum partem intercedat, discriminis demonstrandi causa Xenophontem dicit primo se praebuisse probum rerum Atticarum iudicem, qui popularium suorum animum, prudentiam, religionem e veritate aestimaret, deinde detestabilem desertorem, qui ad laconicarum rerum studium defecisset. Ita igitur colligere liceat,

---

[1]) cf. Buechsensch. l. l. III.
[2]) cf. l. l.

iusta eum atque aequa oratione Thucydidem, sincerum illum rerum gestarum pronuntiatorem aemulari studuisse. Atqui et Kruegerus, ut iam dixi, argumentum, quo Niebuhrii declaratur sententia, eo infregit, quod Xenophontem iam anno 399 in exsilium missum esse demonstravit et cum eo [1]) alii [2]) veluti Roscherus sententiam ipsam gravibus refellerunt causis. Neque Xenophon ipsius imitationis causa ingenium suum et indolem denegavisse putandus est nec nobis mirandum, illum, a Socrate praeceptore laconicarum rerum studio imbutum, postea omnibus beneficiis a Lacedaemoniis cumulatum, suum erga hos amorem vel sponte vel invitum saepius expressisse: qui amor non ex posteriore Hellenicorum, sed etiam ex priore parte non raro elucet. Hoc igitur ultimo argumento omisso, ex exteriore illo signo *μετὰ δὲ ταῦτα* et similitudinibus, quae et ad Thucydidium genus scribendi et ad Xenophonteam duorum priorum librorum narrationem pariter spectant, coniciendum est, Xenophontem Thucydidium opus explere voluisse et prima editione cum illo priorem Hellenicorum partem coniunxisse [3]). Quod autem illud, quod Thucydides ipse (cf. V, 26, 4) ceperat, consilium non accurate secutus est sed ultra belli Peloponnesiaci finem narrationem protulit, offendere non debemus, cum recuperata demum Atheniensium libertate rebusque in integrum restitutis historia certis quasi terminis circumscripta alsolvitur. Neque illud crimini ei vertimus, quod sua sub alius nomine supposuerit, cum una cum Thucydidio opere commentarios, quos ille de extremis belli anni reliquerat, eum accepisse iisque in conscribenda historia Graeca usum esse verisimile sit.

Sed tertium argumentum ex Thucydide ipso repetitum restat, quod ad firmandam sententiam meam multum valere existimo. Occurrunt nobis, cum attente librum octavum legimus, tres loci, qui tam mirum in modum a ratione et sensu, quo Thucydides historiam suam conscripsit, aberrant, ut ab

---

[1]) cf. l. l. I, 253.
[2]) Roscher, l. l. pg. 559.
[3]) Krueger l. l. I, pg. 264.

alio scriptore incultati esse putandi sint. In quorum numero primum habemus

cp. 24, 4 sqq.

ubi de rationibus, quibus Chii in rebus publicis suis gerendis usi sint, digressio quaedam fit: illos enim praeter Lacedaemonios semper in rebus secundis moderatos ac prudentes se praestitisse solos. Thucydidem autem suae patriae amantissimum et imprimis eius reipublicae gerendae rationis, quam Pericles secutus est, studiosissimum (cf. II, 65) cum aliis locis tum maxime Periclis orationibus suam ipsius de republica sententiam pronuntiasse, inter omnes, credo, constat. Quid? Pericles nonne Atheniensium reipublicae formam exemplum et quasi specimen ceteris esse civitatibus? non recta illos laboris et otii vicissitudine veram vivendi rationem inire? non propter moderationem, qua in educandis liberis et propter commoditatem ac facilitatem, qua in vita instituenda et ornanda utantur, omnibus illos admiratione dignos esse demonstrat? (cf. II, 37 sqq.) Quodsi Thucydides talibus verbis studium suum Atticae vitae et reipublicae populare declarat, fieri non potest, ut Chios non minus quam Lacedaemonios fortuna sua cum moderatione ac prudentia usos esse solos luculentis verbis praedicet; nec credibile videtur, Periclea, quam antea clarissimis verbis ad coelum quasi extulit, in republica gerenda laudis adeo cum fuisse immemorem, ut illam in hac comparatione non solum silentio praetermitteret sed etiam hostibus summam impertiret admirationem. Quamobrem mihi quidem verba *Χῖοι γὰρ – ἐχυρώτερον* ita a Thucydidis scribendi ratione discrepare videntur, ut illi sint abiudicanda. Atque ea quae sequuntur, usque ad verba *τὴν ἁμαρτίαν ξυνέγνωσαν*, artissimo nexu cum praecedentibus connecta, item ab alio inserta esse, statuamus necesse est, quamquam in iis non invenitur, quod gravi sit offensioni. Accedit, quod totum hunc locum tollere possumus neque narrationis perpetuitatem interrumpimus. Haec igitur verba, ut in Thucydidiam scribendi rationem non quadrant, ita cum Xenophonteo magnopere videntur convenire. Quod vero quis dicit, Xenophontem in

alienum opus de suo aliquid inculcantem gravissimum laesae fidei crimen sibi fecisse, hanc culpam, qua ne ego quidem omnino eum liberare velim, profecto in se non admisisset, nisi octavum librum, quem imperfectum videret, peculiaribus condimentis emendare sibi licere credidisset. Sed tantum aberat, ut se huius operis auctorem profiteretur (quod ne in iis quidem, quos ipse scripsit, libris fecisse eum notum est) ut licentiam quandam editoris, ad huius libri perfectionem aliquid conferendi sibi sumeret. Totum autem illum locum, qui de Chiis agit, cum laconicarum partium studium magnopere redoleat, a Xenophonte, Lacedaemoniorum amatore, non abhorrere, quis est quin videat? Atque hunc cum admodum esset adolescens, ad amorem illum Socratica disciplina adductum postea in eo assidue perseverasse, et ex tota eius vita cernitur et ex scriptis ita elucet, ut exempla afferre facile supersedeamus.

Accedamus nunc ad alterum locum, qui ex aliena manu videtur esse profectus, ad verba, quae inveniuntur in cp. 48, 1

οἵπερ καὶ ταλαιπωροῦνται μάλιστα.

Haec verba ex ipsius scriptoris non ex Samiorum optimatium sententia, de quibus agitur, addita esse et suffixum *πὲρ* cum relativo cohaerens et indicativus *ταλαιπωροῦνται* demonstrant. Quid censes? Thucydidis scribendi rationi num respondent haec verba? At ipse unus ex optimatium partibus et acerbissimam vexationem ab Atheniensium populo perpessus, cum patria orbatus et in exilium missus esset, habuit sane, cur hanc sive querimoniae sive indignationis vocem emitteret. Sed ut illud primum moneamus, Thucydides cum iis optimatibus, de quibus hoc loco agitur, qui non solum populare robur vel externis vel instestinis bellis debilitari aequo animo patiebantur, sed etiam cum hostibus consilia sua communicabant, dummodo eversa republica se ipsos ad dominationem perventuros esse sperare possent, minime conferendus, sed in iis numerandus est, qui incolumi reipublicae forma populi furorem a seditiosis hominibus inflammatum moderari bant et, Athenas post Periclis mortem eo carere arb qui pari fortitudine ac prudentia reipublicae clavum te

posset, honestam pacem unicam ducebant salutem. Sed ut verba *οἵπερ ταλαιπωροῦνται* ad totum optimatium ordinem referamus, tamen Thucydidi abiudicanda sunt, cum ille ne eo quidem loco (cf. V, 26, 5), quo exsilium suum commemorat, ut summa modestia summaque erat continentia, contumeliosi vel indignabundi quidquam dicat. Quid igitur? Thucydidem siquidem ne suam quidem iustam causam orare voluit [1], num in animum eum induxisse putas, ut eorum optimatium, qui nihil aliud agerent nisi ut ipsi rerum potirentur, causam defenderet iniustam? Xenophon autem, qui saepenumero [2], quantas insidias ex sycophantarum dolo, quantas iniurias ex populari aura optimates perpeterentur, multis declaravit verbis, cui tanto erat odio imperium popularе, ut non paucorum modo dominationem, qualis Lacedaemone erat, praeferret, verum etiam ad regni admirationem, id quod ex Cyropaedia et Hierone satis apparet, adduceretur: quidni verba illa scripsisse putandus est? Ceterum ad narrationis tenorem nihil eo valere per se liquet. Unum autem mirum mihi videtur, quod Xenophon hoc membrum non post verba *οἱ δυνατοὶ τῶν πολιτῶν*, ad quae pertinet, inculcaverit; quam indiligentiam si in bonum scriptorem conferre nolis, liceat fortasse a posteriore manu illud interpolatum esse sumere.

Restat tertius locus, qui num Thucydidis sit, quaerendum est: dico verba in Cp. 97, 2: *καὶ οὐχ ἥκιστα δὴ — ἀνήνεγκε τὴν πόλιν.*

Haec igitur sententia pronuntiatur a scriptore: quoad ipse viveret, Athenienses proximo tempore non pessime rempublicam gessisse; (connectenda enim sunt verba *οὐχ ἥκιστα* et adverbium *εὖ*, quia relatis illis ad verba *τὸν πρῶτον χρόνον* ex gradu positivo *εὖ* nihil sane consequeretur) apta enim moderatione coniunctos et optimates et plebem rebus publicis interfuisse, id quod post graves clades primum fuisse, quo respublica reficeretur. — Reputemus nunc, quaenam ista rerum commutatio, ista, quae dicitur, *μετρία ξύγκρασις* fuerit. Quid? universusne Atheniensium civium populus in administranda re-

[1] Curtius, „griech. Geschichte" II, 447 (2. Aufl.)
[2] cf. conviv. IV, 30 ff.; reipubl. Athen. II, 19 ff.

publica versabatur? Minime, sed ii tantummodo, qui suis sumptibus gravem armaturam comparare poterant (cf. § 1), quinque milium numero recipiebantur. Illud autem cum fere ditiores pollerent soli, neque thetae lege tenerentur, ut inter graviter armatos mererentur, etiamtunc summa rerum penes optimates erat solos, praesertim si non plus quina milia hominum contioni adscriptos esse sumimus. Quid? quod Boeckhius [1]) cum hoc ageretur, ut optimatium imperium institueretur, sub quo hoplitae contionis populi loco essent, vel multos, qui non thetae essent, exclusos esse existimat. Ista igitur *μετρία ξύγκρασις* ad optimatium quidem partes accommodata fuit, sed moderationis et aequitatis laudem non meretur. Quamobrem hanc reipublicae formam, in qua Atheniensium plebs prae optimatibus nihil fere vabebat, magnopere dubito, num Thucydides, cui clarissima illa Periclea aetas ante oculos obversaretur, tam singulari laude afficere potuerit. A Xenophonte autem, optimatium imperii fautore haec, verba non videntur aliena. Iam ad narrationis continuationem eo magis iis carere possumus, quo facilius totus hic locus emendatur: omisso enim enuntiato, quod modo tractavimus, ubi ex sequente *ἐψηφίσαντο δὲ* (quae verba hoc loco a Xenophonte videntur esse repetita) sustulerimus et in praecedente post *τἆλλα* particulam *τέ*, quae particulae *καὶ* ante *Ἀλκιβιάδην* respondeat, addiderimus, talis fluet oratio, qualem a Thucydide nobis relictam esse iudicamus.

Habemus igitur tres libri octavi locos, quos Thucydidi abiudicandos et a Xenophonte inculcatos esse veri est simillimum.

Tota autem, quam modo suscepi, argumentatione quamvis nihil certi et explorati efficere potuerim, satis tamen habebo, si testimonio illi Diogenis, Xenophontem fuisse Thucydidii operis editorem, probabilitatem quandam addidero.

---

[1]) cf. Goeller „Ausgb. d. Thucyd." 2. Aufl.

VITA.

Fridericus Otto Dietrich die XXI mensis Augusti anno h. s. XLIX Arnswaldae in oppido Neomarchico natus sum. Prima literarum elementa edoctus Joachimicum gymnasium Berolinense adii, quod tum Kiesslingii auspiciis florebat. Postquam per unum semestre illud frequentavi, contigit mihi, ut inter alumnos reciperer. Vicesimum annum agens maturitatis testimonio accepto in Lipsiensem academiam me contuli philologiae operam daturus. Per tria semestria hic scholis Curtii, Drobischii, Overbeckii, Ritschelii, Roscheri intereram, cum atrocissimum illud bellum exarsit, quo permoti peregrini in suam quisque patriam festinaverunt. Ego quoque domum reversus ad militiam nomen dedi sed tali repulsam. Quamobrem ineunte autumno in Berolinensem academiam transmigravi, ubi per quinque semestria Droysenii, Duehringii, Harmsii, Hauptii, Huebneri, Kirchhoffii, Mommsenii, Steinthalii lectiones audivi. Per tria semestria Huebnerus aditum mihi aperuit ad philologicam societatem, cuius etiamnunc sum sodalis. His viris omnibus optime de me meritis hoc loco maximas gratias ago, imprimis Huebnero, praeceptori humanissimo, qui benevolis consiliis studia mea summa iuvit liberalitate.

ATV Q 1874

THESES.

I.

Thucyd. VII, 28, 2/3.

Ad infinitivos *τὸ — μηδ' ὡς ἀποστῆναι, ἀλλ' — ἀντιπολιορκεῖν, καὶ — ποιῆσαι* cum scholiasta ex praecedente enuntiato *ἠπίστησεν ἄν τις ἀκούσας* supplendum esse existimo.

II.

Thucyd. VIII, 63, 2/3.

Kruegerus recte mihi hunc locum videtur emendavisse, cum scripsit *καὶ αὐτῶν τῶν Σαμίων προτρεψάντων τοὺς δυνατοὺς — καιπερ ἐπαναστάντες αὐτοί.*

III.

Sophocles. Electr. vv. 214—16.

Emendo hos versus ita, ut scribam

οὐ γνώμαν ἴσχεις, ἐξ οἵων
ἀγαθῶν οἵας εἰς ἄτας
ἐμπίπτεις οὕτως αἰκῶς;

et in strophae versu 196 eiciam *σοί.*

IV.

Imperator Otto Magnus non ambitione co
rerum necessitate impulsus est, ut ad Italic
accederet sibique imperatoriam dignita

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 053 490 6

AUG 23 1874

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 053 490 6